

Lorenzo Gagliardi

(Università degli Studi di Milano)

IUDEX ARBITERVE: LA FUNZIONE GIUDICANTE
IN UNA PROSPETTIVA SOCIOLOGICA

(Cedant 2022, Pavia, Collegio Ghislieri, 18 gennaio 2022)

Fonti

I. Nomina dei giudici

a) *Iudices lecti a magistratibus*

- 1) Cic. *Cluent.* 43.121: *deinde praetores urbani qui iurati debent optimum quemque in lectos iudices referre numquam sibi ad eam rem censoriam ignominiam impedimento esse oportere duxerunt.*
- 2) Gell. 14.2.1: *Quo primum tempore a praetoribus lectus in iudices sum ut iudicia, quae appellantur privata, susciperem...*
- 3) *Lex Irn.* 86 (IXB 42-52 - IXC 1-28): (IXB) (42) *R(ubrica) de iudicibus legendis proponendis / Qu[i] II]viri in [e]lo municipio i(ure) d(icundo) prae(e)runt de communi sententia / aut si u[ter eo]rum aberit aliave quae causa ei inciderit quo / (45) minus [eam re]m agere possit alter in diebus quinque prox[i] / [mis qui]bus iure dicundo prae(e)sse coeperit poteritque iudi/[ces legi]to [e]x [dec]urionibus conscriptisve tot quot ei videbi/[tur qui ei] prov[inci]ae prae(e)rit qui eo anno non debebunt / [munere alio simul fu]ngi ex reliquis municipibus qui praeter / (50) [dec]urion[es conscriptos]ve ingenui erunt tot quot ei videbitur / [q]ui ei pro[vinciae] prae(e)rit non minores quam XXV annorum / quibus ip[si]s quorumv[e] cui[u]s patri avove paterno proavove // (IXC) (1) patern<o=I> aut patri cuius in potestate erit non minor quam HS V(milia) / res sit quos maxime idoneos arbitrabitur l[e]giqu[e] iudices pro communi municipum eius municipi(i) ((esse)) iuraverit coram decurioni/bus conscriptisve non paucioribus quam decem dum ne / (5) quem legat cui morbus causa erit quo minus rebus [i]u[di]candis / eo anno operam dare possit quive LXV annorum maiorve erit qu[i]/ve aedilis quaest[or]v[e er]ji[t] quive rei publicae causa aberit quive / rei*

*communi[s mu]n[i]cipum eius municipi(i) causa aberit quive / in ea regione
 [si]ne d(olo) m(alo) non erit et ob eam rem eo anno rebus / (10) iudicandis
 ope[r]am d[a]re non poterit quive in earum qua cau(sa erit ex qua eum in
 [nu]merum decurionum conscriptorum/ve legi inve eo num[e]ro esse non
 oportebit nisi ob eam rem / esse legive [non o]p[ort]ebit quot minor ei patri avo
 paterno / proa[v]ov[e paterno] aut patri in cuius potestate sit res sit / (15) ut
 quam eum in numerum decurionum conscriptorumve / leg[i] esseve in eo
 n[u]m[er]o o[p]ortea[t] eosque quam aequalis / summa[e i]n d[e]cu[rias] tres
 discibito q[ui] ita iudices lec[ti] / discriptive erunt ii [eo] anno iudices rerum
 privatarum / in eo municipio h(ac) l(ege) sun[t]o eorumque omnium i[s] qui i(ure)
 d(icundo) p(rae)e(rit) / (20) praenomina nomina item patrum praenom[i]na et
 ipso/rum tribus cognomina in tabulis scripta aput tribunal / suum per omnes
 reliquos eius anni dies maiorem partem / cuiusque die[i pr]oposi[ta h]a[b]eto ita
 u[t] d(e) [p(lano) r(ecte)] l(egi) p(ossint) deque iis i[u]/dicibus in eas res [de]
 qu[ibus] rebu[s r]ecuperatores dari non / (25) oportebit [iudicem arbitrumve]
 quem ex h(ac) l(ege) oportebit da/ri addiciq(ue) iudica[re] iubeto neve quem
 alium iudicem ne[ve] / arbitrum dato neve iudi[car]e iubeto invito alterutro [aut]
 / si plures erunt aliquo eorum inter quos quid [amb]igetu[r].*

b) *Iudices ex conventione litigatorum*

- 4) Cic. *Cluent.* 43.120: *Neminem voluerunt maiores nostri non modo de existimatione cuiusquam sed ne pecuniaria quidem de re minima esse iudicem, nisi qui inter adversarios convenisset.*
- 5) Gai 4.105: *Imperio vero continentur recuperatoria et quae sub uno iudice accipiuntur interveniente peregrini persona iudicis aut litigatoris.*
- 6) Ulp. 2 disp. D. 42.1.57: *Quidam consulebat, an valeret sententia a minore viginti quinque annis iudice data. Et aequissimum est tueri sententiam ab eo dictam, nisi minor decem et octo annis sit. Certe si magistratum minor gerit, dicendum est iurisdictionem eius non improbari. Et si forte ex consensu iudex minor datus sit scientibus his, qui in eum consentiebant, rectissime dicitur valere sententiam...*
- 7) Call. 1 ed.mon. D. 4.8.41: *Cum lege Iulia cautum sit, ne minor viginti annis iudicare cogatur, nemini licere minorem viginti annis compromissarium iudicem eligere: ideoque poena ex sententia eius nullo modo committitur. Maiori tamen*

viginti annis, si minor viginti quinque annis sit, ex hac causa succurrendum, si temere auditorium receperit, multi dixerunt.

- 8) *Lex Irn.* 87 (IXC 43-51 - XA 1): (IXC) (43): *aut si de aliquo munice qui proposi/tus non sit neque IIvir aut aedilis aut quaestor sit inter eos / (45) conveniet ut eum iudicem arbitrumve habeant nisi si ei de / quo conveniet morbus causae erit quo minus rebus iudican/dis operam dare possit aut is annorum LXV maiorse erit et / eam rem iudicare nol(l)et eum inter eos in eamque rem iudi/cem arbitrumve dato addic(i)to iudicare iubeto qui ita datus / (50) addictus iudicareve iussus erit is iudica[t]o litem aestuma/to quodque ((i))is hac lege iudicaverit litem aestumaverit // (XA) (1) it [iustum ra]tumque esto.*
- 9) Paul. 17 *ad ed.* D. 5.1.12.2: *Non autem omnes iudices dari possunt ab his qui iudicis dandi ius habent: quidam enim lege impediuntur ne iudices sint, quidam natura, quidam moribus. Natura, ut surdus mutus: et perpetuo furiosus et impubes, quia iudicio carent. Lege impeditur, qui senatu motus est. Moribus feminae et servi, non quia non habent iudicium, sed quia receptum est, ut civilibus officiis non fungantur.*
- 10) Pomp. 2 *ad Sab.* D. 5.1.80: *Si in iudicis nomine praenomine erratum est, Servius respondit, si ex conventione litigatorum is iudex addictus esset, eum esse iudicem, de quo litigatores sensissent.*
- 11) *TPSulp.* 22 (Camodeca 1999). Tab I, pag. 2 - Tab. II, pag. 3 (*graphio, scriptura interior*): *C(aio) Ce[stio] M(arco) Servilio Noniano co(n)s(ulibus) / [... Feb]ruar(ias)/A(ulus) C[astricius Celer] scripsi mi[h]i convenisse / [cum C(aio) Sulpicio] Fausto Maiore de rebus / [rationib]us controversis actionibus / [petitionibus] persecutionibusque quae / [sunt] inter me et eum quaeque / [inter eum et] A(ulum) Castricum [Is]ochry/[sum ...] sunt fuerunt [...]is / [...] q(ui) s(upra) s(criptus) est inter / [me et C(aium) Sulpi]cium Faustum Maior/[em A(ulum) Titinium Ant]hum M[a]ior(em) iu/[dicem futurum es]s[e] ante Idus April/[es primas si aut]em is A(ulus) Titinius A[n]/[thus Maior q(ui) s(upra) s(criptus) est] iudex // [addictus non er]it quod per me / [heredemve meum] non fiat q[uod] / [per me heredemve] meum d(olo) m(alo) / [fiat q]uominus is A(ulus) Titinius / [Anthus Maior qui supr]a s[criptus] est / [iudex] addicatur tum se[ster]tia / [cen]tum mil{l}ia nummum / [p(roba)] r(ecte) d(ari) stipulatus est*

C(aius) / [S]ulpicius Faustus Maior spoondi A(ulus) / Castricius Celer / actum Puteolis // Tab I, pag. 1 (atramento, scriptura exterior): inter me et C(aium) Su]lpiciu[m Faustum Mai]o/[rem A(ulum) Titinium A]nthu[m Maiores iudicem] / [futurum esse] a[n]te Idus April[es primas si] / [autem is] A(ulus) [Ti]tinius Ant[hus Maior iu]/[dex addic]tu[s n]on erit quo[d per me he]/[redemve meum no]n fiet quo[d per me here]/[demve meum d(olo) m(alo)] non fiat quomin[us is A(ulus)] / [Titinius] Anthus Maior [qui supra scrip]/[tus] est [iu]dex addicatur [...] / [...]tum HS C m(ilia) n(ummum) p(roba) r(ecte) d(ari) [stipulatus] est / [C(aius) S]ulpicius Faustus Maior [spoondi] A(ulus) / [Ca]stricius Celer / actum Puteolis.

II. Giudice singolo e collegi

- 12) Cic. *Caecin.* 2.6: *Omnia iudicia aut distrahendarum controversiarum aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt, quorum alterum levius est, propterea quod et minus laedit et persaepe disceptatore domestico diiudicatur, alterum est vehementissimum, quod et ad graviores res pertinet et non honorariam operam amici, sed severitatem iudicis ac vim requirit. Quod est gravius, et cuius rei causa maxime iudicia constituta sunt, id iam mala consuetudine dissolutum est. Nam ut quaeque res est turpissima, sic maxime et maturissime vindicanda est, at eadem, quia existimationis periculum est, tardissime iudicatur.*
- 13) Quint. *inst.* 5.10.115: ... *ut alia apud centumviros, alia apud privatum iudicem in iisdem quaestionibus ratio....*
- 14) Plin. *epist.* 6.33.9: *Intervenit enim acribus illis et erectis frequens necessitas computandi ac paene calculos tabularumque poscendi, ut repente in privati iudicii formam centumvirale vertatur.*
- 15) Gell. 14.2.7-8: *Is tamen cum suis multis patronis clamitabat probari apud me debere pecuniam datam consuetis modis: expensi latione, mensae rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione; ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti iam se oportere et adversarium de calumnia damnari; quod de utriusque autem vita atque factis diceretur, frustra id fieri atque dici; rem enim de petenda pecunia apud iudicem privatum agi, non apud censores de moribus.*

III. Rispettabilità dei giudici

- 16) Cic. *Caecin.* 27.76: *vestra auctoritate hoc constituetur, hoc praescribetur.*
- 17) Cic. *Q.Rosc.* 5.15: *...et iudex est is quem nos non minus bene de nobis existimare quam secundum nos iudicare velimus, et advocatio ea est quam propter eximum splendorem ut iudicem unum vereri debeamus...*
- 18) Cic. *Q.Rosc.* 14.42-43: *Iudicem? Cluvius est. Quid is dicit? HS MMM Panurgi nomine Flavium Fannio dissolvisse. Quem tu si ex censu spectas, eques Romanus est, si ex vita, homo clarissimus est, si ex fide, iudicem sumpsisti, si ex veritate, id quod scire potuit et debuit dixit. Nega, nega nunc equiti Romano, homini honesto, iudici tuo credi oportere!*

IV. Mondo sommerso

- 19) Plaut. *Merc.* 278-280:

*Uxori facito ut nunties negotium
mihi esse in urbe, ne me exspectet; nam mihi
tris hodie litis iudicandas dicito*

- 20) Plaut. *Merc.* 734-736:

*DO. Non tu scis quae sit illa? LY. Immo iam scio:
de istac sum iudex captus. DO. Iudex? iam scio:
nunc tu in consilium istam advocavisti tibi*

- 21) Plaut. *Merc.* 272-273, 277-278:

*LY. Profecto ego illunc hircum castrari volo
ruri qui vobis exhibet negotium...*

*LY. I tu hinc ad villam atque istos rastros vilico
Pisto ipsi facito coram ut tradas in manum.*

- 22) Ter. *Heaut.* 498-502:

*CR. ...Paullum negoti mi obstat: Simus et Crito
vicini nostri hic ambigunt de finibus;
me cepere arbitrum: ibo ac dicam, ut dixeram
operam daturum me, hodie non posse is dare:
continuo hic adero...*

- 23) Cic. *Verr.* II 2.13.32: *Siculi hoc iure sunt ut, quod civis cum civi agat, domi certet suis legibus, quod Siculus cum Siculo non eiusdem civitatis, ut de eo praetor iudices ex P. Rupili decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam illi legem Rupiliam vocant, sortiatur. Quod privatus a populo petit aut populus a privato, senatus ex aliqua civitate qui iudicet datur, cum alternae civitates reiectae sunt; quod civis Romanus a Siculo petit, Siculus iudex, quod Siculus a*

civi Romano, civis Romanus datur; ceterarum rerum selecti iudices ex conventu civium Romanorum proponi solent. Inter aratores et decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, iudicia fiunt.

- 24) Cic. *Verr.* II 2.13.34: *ex lege Rupilia sortitio nulla, nisi cum nihil intererat istius; lege Hieronica iudicia plurimarum controversiarum sublata uno nomine omnia; de conventu ac negotiatoribus nulli iudices. quantam potestatem habuerit videtis...*
- 25) Cic. *Verr.* II 3.11.28: *quid praetor? iubet recuperatores reicere. “decurias scribamus.” quas decurias? “de cohorte mea reicies,” inquit. “quid? ista cohors quorum hominum est?” Volusi haruspicis et Cornelii medici et horum canum quos tribunal meum vides lambere; nam de conventu nullum umquam iudicem nec recuperatorem dedit; iniquos decumanis aiebat omnis esse qui ullam agri glebam possiderent. veniendum erat ad eos contra Apronium qui nondum Apronianii convivi crapulam exhalassent.*
- 26) Cic. *Verr.* II 3.28.69: *Ingerebat iste Artemidorum Cornelium medicum et Tlepolemum Cornelium pictorem et eius modi recuperatores, quorum civis Romanus nemo erat, sed Graeci sacrilegi iam pridem improbi, repente Cornelii.*
- 27) Cic. *Verr.* II 3.60.137: *hic tu medicum et haruspicem et praefectum tuum recuperatores dabis aut etiam illum ipsum quem tu in cohorte tua Cassianum iudicem habebas, si qua res maior esset, Papirium Potamonem, hominem severum ex vetere illa equestri disciplina?*
- 28) Cic. *Phil.* 5.6.15: *Atque ego de notis iudicibus dixi: quos minus nostis nolui nominare: saltatores, citharistas, totum denique comissionis Antonianae chorum in tertiam decuriam iudicum scitote esse coniectum.*
- 29) Iuv. *Sat.* 7.115-117:
- consedere duces, surgis tu pallidus Ajax
dicturus dubia pro libertate bubulco
iudice.*
- 30) Macr. *Sat.* 3.16.14-16: *C. Titius ... Describens enim homines prodigos in forum ad iudicandum ebrios commeantes, quaeque soleant inter se sermocinari, sic ait: «Ludunt alea studiose, delibuti unguentis, scortis stipati. Ubi horae decem sunt, iubent puerum vocari ut comitium eat percontatum quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus iusserint, quod vetuerint. Inde ad comitium*

vadunt ne litem suam faciant. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora quam non impleant, quippe qui vescicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium, tristes iubent dicere. Quorum negotium est narrant, iudex testes poscit, ipsus it minctum. Ubi redit, ait se omnia audivisse, tabulas poscit, litteras inspicit: vix praे vino sustinet palpebras. Eunt in consilium. Ibi haec oratio: “Quid mihi negotii est cum istis nugatoribus? Quin potius potamus mulsum mixto vino Graeco, edimus turdum pinguem bonumque piscem, lupum germanum qui inter duos pontes captus fuit”».

- 31) Cic. *Cael.* 28.67: *Quam volent in conviviis faceti, dicaces, non numquam etiam ad vinum diserti sint, alia fori vis est, alia triclini, alia subselliorum ratio, alia lectorum; non idem iudicum comissatorumque conspectus; lux denique longe alia est solis, alia lychnorum.*

V. Imperiti

- 32) Quint. *inst.* 2.17.27-28: *Quorum neutrum est turpe, cum ex bona ratione proficiscitur, ideoque nec vitium; nam et mendacium dicere etiam sapienti aliquando concessum est, et adfectus, si aliter ad aequitatem perduci iudex non poterit, necessario movebit orator: imperiti enim iudicant et qui frequenter in hoc ipsum fallendi sint, ne errant. Nam si mihi sapientes iudices dentur, sapientium contiones atque omne consilium, nihil invidia valeat, nihil gratia, nihil opinio praesumpta falsisque testes, perquam sit exiguis eloquentiae locus et prope in sola delectatione ponatur.*

- 33) Quint. *inst.* 4.2.45: *Quare vitanda est etiam illa Sallustiana (quamquam in ipso virtutis optinet locum) brevitas et abruptum sermonis genus: quod otiosum fortasse lectorem minus fallat, audientem transvolat, nec dum repetatur expectat, cum praesertim lector non fere sit nisi eruditus, iudicem rura plerumque in decurias mittant de eo pronuntiaturum quod intellexerit, ut fortasse ubique, in narratione tamen praecipue media haec tenenda sit via dicendi: "quantum opus est et quantum satis est".*

- 34) Quint. *inst.* 10.1.32: *Itaque, ut dixi, neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus iudicem et saepius ineruditum captanda nobis est, neque illa Livi lactea ubertas satis docebit eum qui non speciem expositionis sed fidem quaerit.*

35) Hor. *Sat.* 1.1.9-12:

*Agricolam laudat iuris legumque peritus,
sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat;
ille, datis vadibus qui rure extractus in urbemst,
solos felicis viventis clamat in urbe.*

VI. *Corrupti*

36) Cic. *div. in Caec.* 3.8-9: *Qui iudicia manere apud ordinem senatorium volunt, queruntur accusatores se idoneos non habere: qui accusare possunt, iudiciorum severitatem desiderant. Populus Romanus interea, tametsi multis incommodis difficultatibusque adfectus est, tamen nihil aequa in re publica atque illam veterem iudiciorum vim gravitatemque requirit. Iudiciorum desiderio tribunicia potestas efflagitata est, iudiciorum levitate ordo quoque alius ad res iudicandas postulatur, iudicum culpa atque dedecore etiam censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscit, id iam populare et plausibile factum est. In hac libidine hominum nocentissimorum, in populi Romani cotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione, cum hoc unum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, ut homines idonei atque integri causam rei publicae legumque susciperent, fateor me salutis omnium causa ad eam partem accessisse rei publicae sublevandae quae maxime laboraret.*

37) Quint. *inst.* 4.1.20-22: *Praeterea detrahenda vel confirmanda opinio, si quam praecipue domo videbitur iudex attulisse ... Sed adhibendi modus alter ille frequens et favorabilis, ne male sentiat populus Romanus, ne iudicia transferantur, alter autem asper et rarus, quo minatur corruptis accusationem, et id quidem in consilio ampliore utcumque tutius (nam et mali inhibentur et boni gaudent), apud singulos vero numquam suaserim, nisi defecerint omnia. Quod si necessitas exiget, non erit iam ex arte oratoria, non magis quam appellare, etiamsi id quoque saepe utile est, aut antequam pronuntiet reum facere; nam et minari et deferre etiam non orator potest.*

38) Quint. *inst.* 11.1.75: *Apud iudicem vero qui aut erit inimicus alioqui aut propter aliquod commodum a causa quam nos suscepimus aversus, ut persuadendi ardua est ratio, ita dicendi expeditissima: fiducia enim iustitiae eius et nostrae causae nihil nos timere simulabimus. Ipse erit gloria inflandus, ut tanto clarior*

eius futura sit fides ac religio in pronuntiando quanto minus vel offensae vel utilitati suae indulserit.

39) Ov. *am.* 37-40:

*Nec bene conducti vendunt periuria testes
nec bene selecti iudicis arca patet;
turpe reos empta miseros defendere lingua,
quod faciat magnas, turpe tribunal, opes.*

40) Apul. *met.* 10.33: *Qui ego miramini, vilissima capita, immo forensia pecora, immo vero togati vulturii, si totis nunc iudices sententias suas pretio nundianantur, cum rerum exordio inter deos et homines agitatum iudicium corruperit gratia et originalem sententiam magni Iovis consiliis electus iudex rusticanus et opilio lucro libidinis vendiderit cum totis etiam sua stirpis exitio?*

Bibliografia

P. Collinet, *Le rôle des juges dans la formation du droit romain classique*, in *Recueil d'études sur sources du droit en l'honneur de François Géry*, I, Paris s.d. (ma 1934), 23-31

J.M. Kelly, *Studies in the Civil Judicature of the Roman Republic*, Oxford 1976

L. Gagliardi, *La figura del giudice privato del processo civile romano. Per un'analisi storico-sociologica sulla base delle fonti letterarie (da Plauto a Macrobio)*, in *Diritto e teatro in Grecia e a Roma*, a cura di E. Cantarella e L. Gagliardi, Milano 2007, 199-217

P. Lambrini, “*Titius iudex esto*”: la scelta del giudice privato nel processo formulare, in *Il giudice privato nel processo civile romano. Omaggio ad Alberto Burdese*, II, a cura di L. Garofalo, Padova 2012, 293-337